



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. IV. Vtrùm Opus ab Errore invincibili directum sit tam bonum, quàm  
opus directum à cognitione verâ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



neam excusantem, sed eam stabilimus, & simul ostendimus, quâ ratione excuset à malo, & inducat bonum.

Ceterum, quando principia reflexa non reflectunt supra iudicium directum, non est opus, ut illud eliciatur; immò aliquando elici non potest, ut patet in conjugio dubio de validitate matrimonii, & in possessore dubio, an res ad aliam

pertineat. Isti enim saepe non habent unde dubium deponant; certificentur tamen, se licitè reddere debitum, & rem possessam licitè retinere. Pontifices enim declaraverunt, debitum in dubio reddi debere; & omnes ferme in eo conveniunt, quòd res illa titulo possessionis licitè retineri possit, non obstante dubio, ad quem de jure pertineat.

## QUAESTIO QUARTA.

*Virum Opus ab errore invincibili directum sit tam bonum, quam opus directum à cognitione verâ?*

**Q**UAESTIO hæc affinis est precedenti, multumque conducit ad decisionem controversæ contra Celladeum initæ. Ille enim frequenter jactat, veritatem ipsam inutilem fore, si error non solum excusaret, sed etiam honestatem in operationem refunderet. Accusatio ista efficaciter rejecta est *quaestione precedente*; eadem autem ulterius in istâ rejicitur. Verum quia quaestionem hanc à nemine in terminis propositam aut decisam reperi, ideo cautius atque ordinarius in eâ determinandâ procedendum erit, ne dum sine duce viam aliis aperio, ipse à veritate aberrem. Sit ergo.

### ASSERTIO PRIMÂ.

*Ceteris paribus, opus à cognitione certâ & evidenti regulatum melius est, quam opus à cognitione verâ, sed incertâ directum.*

**OPUS** à cognitione certâ regulatum præstat operi à cognitione incertâ regulato.

**2. PROBATUR.** Sint duo, quorum alter; nempe Petrus; certò ac evidenter sciat, eleemosynam hic & nunc rectè dari huic homini, quia verè egenus est, & quia ipsi suppetit, unde eleemosynam licitè largiatur. Alter verò, scilicet Paulus, quoad alia omnia ita se habeat, sicut prior; sed in eo discrepet, quòd neutrum illorum certò sciat, fed solum probabiliter, quamvis veraciter credat utrunque. Porò ut rque pari voluntatis conatu juxta præviam intellectus dispositionem, eleemosynam tribuat. Dico, Petrum eliciturum actum meliorem, ac honestiorem. Ratio à priori est, quia dispositio, seu totus actus primus, à quo operatio Petri procedit, perfectior est quàm dispositio, seu actus primus, à quo operatio Pauli ortum sumit; quia ille certam ac claram, iste obscuram & incertam boni faciendi cognitionem habet. Ergo plus boni refunditur in operationem Petri, quàm in operationem Pauli, quia actus primus perfectior ampliorem perfectionem refundit in actum secundum, quàm actus primus imperfectior. Hoc verum est, sive dispositio illa intellectus dicatur effectivè, sive solum dispositivè influere in actum voluntatis: si effectivè, ut ego quidem existimo, res est clara, quia nobilior causa meliorem gignit effectum: si solum dispositivè, idem sequitur; quia eadem causa, idemque motivum eò nobiliorem effectum producant, quò melius disponuntur, & clarius aut propinquius applicantur.

R. P. A. Terribi Regula morum, PARS I.

Unde sequitur, aliquid honestatis deesse actui à cognitione incertâ regulato, tam quoad affectum erga medium, quàm erga finem; quia voluntas minus afficitur erga medium, de quo formidat; an connectatur cum fine, quàm erga medium evidenter connexum cum fine.

Præterea minus firmiter applicat medium fini, quod videt non necessariò connexum cum fine, quàm si sciret illud esse necessariò connexum. Similiter loquendo de ipso fine, haud dubiè voluntas fortius adhæret illi, quando certò videt illum adesse, quàm quando formidat & vacillat, an adsit necne. Ergo in hoc casu operatio Petri est perfectior operatione Pauli; quia illa regulatur à cognitione certâ ac evidenti tam de præsentia finis, quàm de conducibilitate medii; ista verò dirigitur solum à probabili conjecturâ utriusque.

**3. Confirmatur multipliciter.** Inprimis, non aliâ de causâ amor beatificus in patriâ est melior, quàm amor charitatis in viâ, quàm quia intellectus lumine gloriæ instructus clarius Deum cognoscit; ex parte enim voluntatis principia radicalia amandi Deum non variantur. Secundò, qui clarè videt iter esse planum, omnique offendiculo carere, alacrius pergit, quàm qui ob defectum luminis non clarè discernit, sed formidat, an in offendicula sit incururus. Tertio, ipsa ratio voluntarii à prævia cognitione dependet & regulatur, nam si cognitio prævia de bono sit clara & evidens, voluntarium absque involuntarii admixtionè prodit; aliter accidit, si intellectus de mali admixtionè formidet. Similiter si cognitio prævia sit supernaturalis ex parte objecti (ut ego cum multis existimo fidem esse) etiam effectus voluntatis sequens erit pariter supernaturalis ex parte objecti, quia actus voluntatis, seu voluntarium æmulatur ac imitatur naturam cognitionis, à quâ dirigitur. Hæc omnia, præsentia assertioni applicata, eam validissimè confirmant.

Aliæ rationes ad idem confirmandum.

### SOLVUNTUR OBJECTIONES.

**4. OBJICIT.** Quando cognitio directa est incerta, prius quàm voluntas operetur, intellectus recurrit ad principia reflexa, per quæ certò & infallibiliter cognoscit, operationem hanc hic & nunc esse honestam. Ergo etiam tunc voluntas regulatur à cognitione certâ & evidenti. Ergo non est cur non æquè benè operetur, sicut quando dirigitur à cognitione directâ certâ & evidenti.

Respondeo inprimis, rationes à nobis allatas concludere adversus eos, qui solum considerant

Solvitur.



operationem voluntatis à cognitionibus directis regulatam. Ergo concludit aduersus Celladeum, qui non admittit regulationem istam per principia reflexa.

5. Deinde respondeo, operationem Petri adhuc meliorem esse operatione Pauli, quia certitudo & euidencia directa de honestate operis secundum se melior est, quam certitudo & euidencia de honestate operationis, cum incertitudine ac formidine de honestate operis. Ratio est, quia quæ per se intenduntur à naturâ, meliora sunt, quam quæ intenduntur solum per accidens; hæc enim non aliâ de causâ instituntur, quam ut meliorem locum aliquo modo suppleant, quando ex imperfectione nostrâ ad perfectiora pervenire non possumus. At certitudo & veritas directa de rerum honestate per se intenditur, veritas autem & certitudo reflexa solum per accidens, & in defectum certitudinis directæ. Ergo certitudo & veritas directa melior est, magisque divinæ voluntati conformis, quam reflexa. Ergo & operatio, à certâ cognitione directâ regulata, melior est, quam quæ à reflexâ solum regulatur.

6. Ratio ulterior, & fundamentalis huius rei est, quia principia reflexa à fortiori locum habent, quando cognitio directa est certa. Si enim evidens sit, sequentem opinionem probabilem non peccare, à fortiori evidens est, eum non peccare; qui sequitur cognitionem certam. Ergo omnia principia refundentia honestatem in operationem Pauli adsunt, & honestatem refundunt in operationem Petri.

Præterea operatio Petri ex aliâ etiam parte oritur ex principiis directis refundentibus honestatem, ex quibus operatio Pauli nullam honestatem haurit. Ergo operatio Petri melior est operatione Pauli.

Demum euidencia reflexa considerat opus in ordine ad peculiare circumstantias, à cognitione directâ non expressas. At opus, reflexis illis circumstantiis tantummodo subsistens, non est tam bonum, quam opus subsistens illis ipsis, atque etiam aliis directis, à quibus certò honestatur; quia certitudo honestatis in secundo casu duplex est, nempe certitudo honestatis de operatione hic & nunc, atque etiam certitudo de honestate operis secundum se, in quod proinde majori alacritate ac vi animus se effundit, quam quando solâ rectâ certitudine utitur.

Demum voluntas Dei, quæ est prima regula honestatis in operationes nostras refundenda, non una eademque observatur utrique operanti. Nam Paulo observatur voluntas merè permissiva in istis circumstantiis ob nostram ignorantiam, &c. At Petro obicitur voluntas directè intentiva ac volens. Jam voluntas Dei intentiva, cognita & applicata, majorem honestatem refundit in opus, quam voluntas solum permissiva; nec de hoc dubium esse potest. Ergo operatio Petri est melior operatione Pauli. Stat ergo, operationem à cognitione directâ certâ regulatam, cæteris paribus, meliorem esse operationem, quæ à cognitione directâ tantum probabiliter dirigitur.

## ASSERTIO II.

*Cæteris paribus, melior est operatio à cognitione directâ certâ & euidenti regulata, quam quæ ab errore invincibili dirigitur.*

Opus ab errore regulatum est minus bonum, quam opus regulatum à cognitione certâ.

7. **P**ROBATUR. Operatio ab errore invincibili directâ non potest esse melior operatione regulatâ à cognitione verâ & æquè probabili, ac est ipse error. At operatio, à cognitione directâ certâ & euidenti regulata, melior est, quam operatio à cognitione verâ sed solum probabiliter regulata. Ergo melior est, cæteris paribus, quam operatio, quæ ab errore invincibili dirigitur. Major est indubitata, minor constat ex assert. 1. consequentia legitime deducitur.

## ASSERTIO III.

*Operatio ab errore invincibili regulata, cæteris paribus, tam bona est, quam operatio à cognitione verâ sed solum probabiliter regulata.*

Opus ab errore invincibili ortum est tam bonum, quam opus à cognitione probabiliter verâ regulatum.

8. **P**ROBATUR. Si cætera sint paria, actus probabilis erroneus est intrinsecè tam perfectus, quam actus probabilis verus, quia in istiusmodi actibus veritas formalis est denominatione partim extrinseca, & consequenter accidentaliter actui vero. Ergo fieri poterit, ut actus erroneus sit tam perfectus, quam actus verus. Rursus actus ille erroneus tam prudenter à voluntate imperari potest & solet, quam actus probabilis verus. Ergo est etiam extrinsecè à prudentiâ tam perfectus, & aliquando perfectior, quam actus verus. Ergo actus voluntatis ab istis cognitionibus directis, si cætera sint paria, æquè boni sunt. Neque enim est, unde sumatur diversitas, cum similis prorsus sit dispositio in intellectu & voluntate utriusque, quamvis unus erret, alter non erret in suo iudicio. Sic duo, eodem prorsus fundamento putati & habitati fratres, si cætera sint paria, æquè honestè operantur obediendo patri putato, & negando obedientiam filialem aliis; quamvis unus illorum erret, existimando illum esse suum patrem, qui pater illius non est, alter verò non erret. Ratio autem est, quia in isto casu nulla est diversitas neque in directis neque in reflexis actibus, quibus isti conscientiam suam formant. Similiter nulla est diversitas in actibus præviis, vi quorum prudentialiter imperant assensus, quibus credunt illum non alium esse suum patrem. Demum ex parte voluntatis & inclinationis ad finem nulla est diversitas. Ergo actus voluntatis, qui à talibus cognitionibus regulantur, sunt prorsus similes, & æquales, nec unus eorum magis placere Deo potest quam alter; quod adeo clarum videtur, ut mirum sit, illud à Celladeo in dubium revocari potuisse. Monstro enim simile est, quod unus duorum bene, alter non bene agat, quod unus Deo placeat, alter non placeat, aut quod unus bene, alter melius operetur, quando uterque eodem modo conatur rectè operari, atque eisdem omnino, aut prorsus similes actus intellectus & voluntatis elicit. Et tamen monstrum hoc ex doctrinâ Celladei, si ea vera esset, nasceretur, quia ille docet, nullam operationem ab errore directam esse bonam, cum tamen certum sit, operationem prorsus

Intra per se à naturâ præstantiis, quæ intenduntur per accidens.

Plura concurrunt ad bonitatem, quando ad est certitudo, quam quando sola probabilitas habetur.



prorsus similem, à cognitione & affectu pariter similibus ortam, esse bonam, quando cognitio est vera.

Dices. Ergo nil refert, utrum erremus, an verum dicamus. At hoc absurdum videtur. Ita Celladeus.

An, & cur referat non errare?

9. Respondeo, errorem in hujusmodi casibus, si sit invincibilis, nil prorsus obesse in ordine ad finem voluntatis, & ad placendam Deo, modò error ille in eadem prorsus aut pari præsumptione fundetur, atque pari prudentiâ à voluntate imperetur, ac judicium verum. At in aliis casibus error, etiam invincibilis, obest, quia impedit majorem honestatem, quâ à cognitione directâ certâ, si ea adesset, in actum refunderetur. Præterea in omni casu error semper contrariatur fini intellectus, quia privatur veritate, ad quam intellectus essentialiter ordinatur; ideoque in omni casu simpliciter loquendo plurimum refert non errare.

10. Ex duobus istis quæstionibus tota Cella-

dei doctrina funditus everitur, quia idem in eo fundatur, quòd nulla operatio, ab errore regulata, esse possit bona, quamvis aliqua sit non mala; illa scilicet, quæ suum ab errore invincibili ortum sumit. Et hoc quidem ejus assertum in quæstione præcedenti convellitur; in hæc verò aliud, & quidem fermè continuus, ejusdem error detegitur. Ubique enim supponit, errorem in sententiâ probabili aliquando latentem esse nobis tam utilem, quàm sit certissima veritas directâ. Unde infert, miseram prorsus scientiam moralem, si nostra sententiâ admitteretur, quia tanti esset in illâ errare, quanti scire. Verùm sicut ex dictis constat, falsum esse antecedens, ita pariter ex eisdem constat, consequens esse falsum, & consequentiam nullam. Sed de his singillatim agendum erit uberius, ubi Celladeus, aut datâ aut etiam quæsita opportunitate, eadem tamquam absurda ex nostrâ sententiâ provenientia obrudet.

Ex quo capite doctrina Celladei evertatur?

## QUÆSTIO QUINTA.

*Virum Celladeum in referendâ sententiâ, quam impugnat, fideliter se gesserit?*

1. **I**N tractu de conscientia prob. multis locis, atque hæc etiam quæst. 2. num. 198. & sequentibus ostendi, adversarios benignæ sententiæ non impugnare illam in sensu ab ejus assertoribus intento, sed solum à se confecto; similiter ostendi, quosdam novam excogitasse opinionis probabilis notionem ab aliis non admittam, atque ita demum improbasse usum opinionis probabilis ut illicitum, atque verbis tantum contra alios multum declamasse, cum neminem adversarium haberent, sed propria tantum phantasmata, & miras ex illis deductiones tanquam absurdas impugnant. Videndum ergo est, utrum Celladeus hæc in parte æquius se gesserit, quia *lib. 1. quæst. 4. & 5.* proponit, quid Auctores benignæ sententiæ nomine opinionis probabilis intelligant, & quomodo eam dividant.

hominem peritum & probum ad assensum, quando in ferendo judicio non ex indebita passione movetur, sed, sicut decet virum doctum & pium, judicium format. Porro; ex definitione illâ reliquisque antea dictis, ibidem intuli, nil esse posse probabile, quod aut solido fundamento caret, aut rationi manifestè repugnat. Rursus intuli, omnia illa esse indubitanter improbabilia, quæ sacra Scripturæ, Patrum traditioni, Ecclesiæ definitioni, Conciliorum, ac Summorum Pontificum decretis repugnant. Idem expressè tradunt complures Theologi gravissimi, ac potissimi sententiæ benignæ Auctores, qui certè non frustra horum omnium tam disertè meminerrunt; non enim tam operosè, tam notanter de illis egissent; nisi singularem eorum omnium considerationem habendam judicarent, quoties determinandum est, an aliquid in materiâ morum & fidei sit probabile, nec ne. Ergo quicumque ex instituto intendit eorum sententiam refellere, & ideo ex professo in limine disputationis suæ eorum sententiam sedulo exponere præten- dit, & actu exponit; quicumque, inquam, hoc præstat, minus fideliter se gerit, si, nonnullis expressis, taceat alia, de quibus Auctores, quos impugnat, maxime solliciti sunt, ut eorum peculiaris ac expressa notio habeatur. Atqui hoc modo se gessit Celladeus in referendâ sententiâ Auctorum de notione & essentiâ opinionis probabilis; nullum enim verbum habet, quòd exigant, ne quid certum in contrarium afferatur. Ergo minus fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis; reticuit enim quod minimè reticendum erat, sed eadem fidelitate ac significatione exprimendum, quâ Auctores id signanter exponunt, & ad essentiam opinionis probabilis requirunt.

### ASSERTIO PRIMA.

*Celladeus minus fideliter se gessit in referendâ legitimâ notione opinionis probabilis.*

Celladeus minus fideliter se gessit in referendâ notione opinionis probabilis.

2. **P**ROBATUR. Potissimi Theologi, qui de notione & naturâ opinionis probabilis exactius egerunt, disertissimis verbis duo ad eam requirunt: primò, ut gravi fundamento nitatur, secundò, ut nil certi in contrarium afferatur. Ego fusè de hæc re egi *quæst. 2. de cons. prob.* ubi num. 41. defini opinionem probabilem esse *judicium absolutum sed incertum de aliquo objecto, mixtum motivo prudenti, cui proinde homo, omnibus inspectu, irreprehensibiliter assensum præbet.* Porro ante hanc definitionem explicui, quid sit motivum prudens, unâ cum reliquis terminis, qui difficultatem ullam continent. Nullum autem motivum est prudens, quod & absolute in se, quatenus directè impellit ad assensum, & comparative ad omnia, quæ afferuntur in oppositum, tantæ magnitudinis non sit, ut inducere possit

3. Dices: non est necesse, ut in explicatione Replicæ opinionis probabilis explicitè apponatur, quòd in contrarium nil certi obstat, quia hoc sufficienter includitur in aliis particulis, quas Celladeus attulit;